

proprio et voluntate spontanea de bonis suis paternis in villa Smurdin<sup>a</sup>), de manso Wernheri Magni XXX<sup>a</sup> solidos denariorum Vribergensium annui census, item de manso Jacobi dicti Relik unum talentum eorundem denariorum, quatuor pullos et  $\mathcal{J}$  scocum ovorum. Exequendo vero et adimplendo dicti domini Nycolai fratris sui in extremis positi voluntatem et mandatum assignavit circa sanctum Gothhardum<sup>b</sup>) de dimidio manso olim carnificis VI $\mathcal{J}$  solidum praedictorum denariorum, duos pullos et  $\mathcal{J}$  scocum ovorum. Item de quadam vinea circa Kozebrode<sup>c</sup>) quae vocatur Planities quinque solidos. Item in villa Podegratitz<sup>d</sup>) de manso Johannis feudali XV solidos annui census, duos solidos pro aratura, III pullos et viginti tria ova, item in molendino ibidem VIII solidos praedictae monetae et VIII pullos. Ad haec Johannes de Schylowe dictae capellae primus rector de manso Arnoldi filii quondam Schybani unum talentum denariorum, duos solidos pro aratura, III<sup>or</sup> pullos et dimidium scocum ovorum similiter pro aumento dotis vicariae suae praedictae apud dominum Petrum praedictum sua pecunia comparavit. Hunc siquidem censum, possessiones seu redditus dictus Petrus praelibatae capellae seu vicariae per ipsum et dominum Nycolaum ut praemittitur instauratae pro aumento dotis, quae sacerdoti pro tempore ministranti minus sufficiens fuerat, assignavit, donavit et tradidit cum omni iure, utilitate et libertate, ut vicarius seu sacerdos qui pro tempore fuerit ipsi liberius deservire valeat secundum primaevae institutionis formam domino iugiter famulando. Et quia dictus Petrus et quondam dominus Nycolaus censum, possessiones seu redditus praedictos a nobis et ecclesia nostra in feodum tenuerunt, ipse Petrus nobis humiliter supplicavit, ut censum, possessiones seu redditus huiusmodi dictae vicariae donare et appropriare gratiosius dignaremur. Nos itaque ipsius precibus piis, devotis atque iustis favorabiliter inclinati censum, possessiones seu redditus praedictos ad manus nostras libere resignatos praefatae capellae seu vicariae pro aumento dotis ipsius cum pleno iure et utilitate praesentibus appropriamus, donamus et tradimus, nostri capituli ad id consensu plenarie accedente, volentes et decernentes eadem bona ad ius et tuitionem libertatis ecclesiasticae perpetuis temporibus inviolabiliter pertinere. Ut autem praemissa perpetuae firmitatis robur obtineant, praesens scriptum sigillo nostro duximus roborandum.

Nos quoque Waltherus praepositus, Conradus de Strelis senior canonicus totumque capitulum ecclesiae Misnensis praedictae appropriationem et donationem dictorum bonorum a reverendo patre et domino nostro episcopo praedicto factam approbamus, ratificamus ac ipsi consentimus. In quorum evidentiam sigillum capituli nostri huic scripto communito sigillo domini nostri episcopi praedicti ut praemittitur est appensum. Datum Moglin anno domini millesimo CCC<sup>o</sup>. XXII<sup>o</sup>. in synodo Benedicta. Testes huius sunt dominus Bernhardus de Kythelitz archidiaconus Nysicensis, dominus Alb. de Lysnik praepositus Haynensis, dominus Hermannus de Wolfthitz custos ecclesiae Misnensis, dominus Hermannus de Vriberg et dominus Johannes de Retyr canonici Misnenses, dominus Henricus de Wystroppe canonicus Budissinensis et alii quamplures fide digni.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel des Bischofs an rothen und gelben, des Capitels an rothen, grünen und gelben seidenen Fäden.

a) Schmorren, Par. Jahna. b) Jahna, Eph. Oschatz. c) Kötzschenbroda. d) Baderitz, Par. Zschaitz.